



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum per consensum conditionalium fiat matrimonium? 5

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

*Virum per consensum conditionatum fiat matrimonium?*

195

**A**D quintum sic proceditur. Videtur, quod nec per consensum conditionatum fiat matrimonium. Quia quod sub conditione ponitur, non simpliciter enuntiatur. Sed in matrimonio oportet esse verba simpliciter exprimentia consensum. Ergo conditio alicuius consensus non facit matrimonium.

¶ 2 Preterea, Matrimonium debet esse certum. Sed ubi dicitur aliquid sub conditione, ponitur illud sub dubio. Ergo talis consensus non facit matrimonium.

SED contra, In alijs contractibus fit obligatio sub conditione, & stat stante conditione. Ergo cum matrimonium fit contractus quidam, videtur quod possit fieri per conditionatum consensum.

RESPONDEO dicendum, quod conditio apponitur aut est de presenti, aut de futuro. Si de presenti, & non est contraria matrimonio, siue sit honesta, siue inhonesta, stat matrimonium stante conditione, & etiam non stante non stat. Sed si sit contraria bonis matrimonij, non efficitur matrimonium: sicut etiam supra de sponsalibus dictum est. Si autem sit conditio de futuro: aut est necessaria, sicut Solem oriri cras: & tunc est matrimonium, quia talia futura sunt presentia in causis suis. Aut est contingens, ut datio pecunie vel acceptatio parentum: & tunc idem est iudicium de tali consensu, sicut de consensu, qui fit per verba de futuro: unde non facit matrimonium.

Et per hoc patet solutio ad obiecta.

## ARTIC. VI.

*Virum aliquis precepto patris possit compelli ad matrimonium contrahendum?*

196

*Conc. Trident. de potestate pauperum ante indicium*

**A**D sextum sic proceditur. Videtur, quod aliquis precepto patris possit compelli ad matrimonium contrahendum. Dicitur enim ad Col. 3. Filij, obedite parentibus vestris per omnia. Ergo &